ecclesiam accessit, cepit eandem ecclesiam, in quantum paciebatur angus-
tia temporis, ipso domino Engelberto adhuc supervivente, per suam pru-
denciam congrue reformare, debita ecclesie persolvere, et possessiones
ecclesie obligatas in magna parte absolvere atque ad integritatem
ecclesie revocare. Inter alia autem allodia ecclesie alienata ipse
dominus Cono Treverensis absolvit a Wilhelmo duci Juliacensi nobi-
lem antiquam possessionem ecclesie Coloniensis, videlicet oppidum
Tulpetense cum suis iuribus et districtu; quod quidem allodium
a longissimis retro temporibus, videlicet a pontificatu olim domini
Wickboldi archiepiscopi, in manibus comitum Juliacensium iam
steterat obligatum. Idem quoque dominus Treverensis archiepis-
copus fecit publicam vindictam et fortem iusticiam de sedicio-
sis oppidi Andernacensis, qui contra dominum Wilhelmum
quondam Coloniensem archiepiscopum inobedienter se erexerant;
Auctores quidem sedicionis faciens plecti ~~sen~~ sententia capitali, alios ~~steti in pena~~ t.
ex ipsis secundum merita perpetuo banno et exilio relegari; Pontem
castri Andernacensis, dudum per dictos rebelles andernacenses
contractum ~~ipse~~ ipse fecit forcius et melius reparari. Porro idem ~~81~~
~~d~~ omnis Cono Treverensis Archiepiscopus cum pace et optata
subditorum quiete administravit Coloniensem ecclesiam sine
guerris usque ad obitum domini Engelberti supradicti. Nam
famata ipsius probitas et animosa constancia eiusdem pro-
bata potentibus et conterminis dominis et maioribus illarum
partium per experientiam fuit nota; et cum hoc illarum
duarum ecclesiarum, videlicet Treverensis et Coloniensis, in una
et eadem persona adunata potentia conatus adversariorum
fortiter terrebat. Post obitum autem supradicti domini 81. a/decß 1.
Engelberti Coloniensis archiepiscopi, vacavit ecclesia Coloniensis
stans absque pastore annis 2 ~~duobus~~ et per ~~tres~~ 3 menses. Interim
vero statim post dicti domini Engelberti obitum capitulum
Coloniense assumpsit denuo in administratorem Coloniensis
ecclesie dominum Cononem Treverensem archiepiscopum
sepedictum, cuius administracionis officium sedes apostolica
confirmavit. Tandem dictum capitulum Coloniense fecit do-
mino pape Urbano 6to solempnem postulacionem de persona
eiusdem domini Treverensis ad Coloniensem ecclesiam trans-
ferendam. Cui quidem postulacioni idem dominus papa prebens assensum,
transtulit eundem dominum Cononem de Treverensi ecclesia ad Coloniensem ecclesiam,
dum tamen ipse dominus Treverensis vellet sue translationi consentire. Sed quia ipse
translationi sue non consensit, nam ipse maluit in ecclesia sua Treverensi rema-
nere, idem dominus Papa mutato titulo administratoris dedit sibi ecclesiam
ipsam Coloniensem in commenda. Postea vero mutato titulo commende idem
dominus papa reservans sibi ad usus camere apostolice dictam Coloniensem eccle-
siam, fecit eundem archiepiscopum Treverensem in Coloniensi ecclesia